Ex Mediolano.iiij.nonas Februarias.M.cccc.Li.
Franciscus Philelfus karolo regi francorum salutem dicit plurimã.

Cum tuas ego res bellicas diu mecum rex karole multũq; cogitaui: unus profecto uisus es quẽ uniuersa christiana respublica tãtis ac tã diuturnis fluctibus agitata concupitæ exoptatæq; quietis atq; trãquillitatis auctorẽ sit tandẽ habitura. Nam si uerũ sine cuiusq̃ inuidia fateri licet: posteaq̃ impia & imanis illa sceleratissima mahometi secta inualuit: nullum est usq̃ hominũ genus: cui plus debeat christiana religio q̃ inuictæ francorũ nobilissimæq; uirtuti. Cum reliqui enim fere omnes & reges & populi christiani ignauo quodam animi torpore tã q̃ elanguissent: soli franci inuenti sunt: qui ingenti animo & excelso omnem barbarorum & infideliũ impetum non modo sustinuerint: sed represserint: quid inquã represserint: imo fuderint: fugarint: oppresserint. Nã italiæ uires q̃q̃ & ualidæ sunt & maximæ: tamen quia nescio quo infœlici fato intestinis seditionibus inimicitijsq; laborare didicere: neq; potuerunt omnino nec itẽ possunt ostendere: quantũ ui prudentiæ & animi robore uigent: florent atq; antecellunt: Soli franci: Soli francorũ principes ac reges in omni christianorũ numero ausi sunt christianæ utilitati semper & dignitati consulere. Itaq; maiorem in modum dolendum erat: tantum inualuisse uim dæmonum: ut quæ una gens esset in noĩe christiano: quæ ad pietatem & gloriã nata uideretur: ea tãdiu domesticis cladibus exerceretur. Sed sinit interdũ deus eos urgeri aduersis rebus: quos habet carioris: idq; ut arbitror: non tam quo experiatur fidem & constantiam hominum (q̃ multo prius norit: q̃ futura sit: sed quo ijs detur ueluti promerendi materia cumulatior & illustrior. Quare cum Thobias: cum Iob: cum rex tolerantissimus ille dauid tantas ac tam intolerabilis ærumnas perpessi sunt: quo se aduersus deũ gessere submissioris: eo magis illos & ope sua: & suis secundis rebus deus dignatus est. Sic eñ deus tũ maxime prodest: cũ maxime uidetur affligere: tum per huiusmodi calami-

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-ii-153/0246
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG